



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibus Singlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Expositio Articvli IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

ARTICVLVS IV.

Utrum Paulus in raptu fuerit alienatus à sensibus.

RESPONDEO dicendum, quòd diuina essentia non potest ab homine videri per aliam vim cognoscitivam, quàm per intellectum. Intellectus autem humanus non conuertitur ad intelligibilia, nisi medijs phantasmatis, quæ per species intelligibiles à sensibus accipit, & in quibus considerans de sensibilibus iudicat, & ea disponit. Et ideo in omni operatione, qua intellectus noster abstrahitur à phantasmatis, necesse est quòd abstrahatur à sensibus. Intellectus autem hominis in statu viæ necesse est, quòd à phantasmatis abstrahatur, si videat DEI essentiam. Non enim per aliquod phantasma potest DEI essentia videri, quinimo nec per aliquam speciem intelligibilem creatam, quia essentia Dei in infinitum excedit non solum omnia corpora, quorum sunt phantasmata, sed etiam omnem intelligibilem creaturam. Oportet autem cum intellectus hominis eleuatur ad altissimam DEI essentia visionem, ut tota mentis intentio illuc aduocetur, ita scilicet, quòd nihil intelligat aliud ex phantasmatis, sed totaliter feratur in DEUM. Vnde impossibile est, quòd homo in statu viæ videat DEUM per essentiam, sine abstractione à sensibus.

EXPOSITIO ARTICVLI IV.

Prima Conclusio. Intellectus hominis in statu viæ videns DEUM necesse est, quòd abstrahatur à sensibus. Quod ratione probatur: quia in omni operatione, in qua intellectus noster abstrahitur à phantasmatis, necessarium etiam abstrahitur à sensibus; sed intellectus videns DEUM, necessarium abstrahitur à phantasmatis, non enim per aliquod phantasma potest DEI essentia videri; quinimo neque per aliquem intelligibilem speciem creatam, quia Essentia DEI in infinitum excedit, non solum omnia corpora, quorum sunt phantasmata, sed etiam omnem intelligibilem creaturam.

Quod etiam ulterius probatur; quia cum in-

tellectus hominis eleuatur ad altissimam DEI visionem, necesse est, ut tota mentis intentio illuc aduocetur, ergo necesse est, quòd nihil intelligat aliud ex phantasmatis, sed totaliter feratur in DEUM. Unde impossibile est, quòd homo in statu viæ DEUM videat per essentiam sine abstractione à sensibus.

Secunda conclusio ex Resp. ad 3. Paulus postquam cessauit videre DEI essentiam, meminit illorum, quæ in illa visione cognouerat per aliquas species intelligibiles habitualiter ex hac visione in eius intellectu relictas, unde nec totam illam cognitionem aut cogitare poterat, aut verbis exprimere.

ARTICVLVS V.

Utrum anima Pauli in statu illo fuerit totaliter à corpore separata.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra dictum est, in raptu, de quo nunc loquimur, virtute diuina eleuatur homo ab eo quòd est secundum naturam, in id, quòd est supra naturam. Et ideo duo considerare oportet. Primum quidem, quid sit homini secundum naturam. Secundo, quid diuina virtute sit in homine secundum supra naturam. Ex hoc autem quòd anima corpori unitur tanquam naturalis forma ipsius, conuenit anime naturalis habitudo ad hoc, quòd per conversionem ad phantasmata intelligat. Quod quidem ab ea non auferitur diuina virtute in raptu, quia non mutat status eius, ut dictum est. Manente autem hoc statu, auferitur ab anima actualis conversio ad phantasmata & sensibilia, ne impediatur eius eleuatio in id quòd excedit omnia phantasmata, ut dictum est: & ideo in raptu non fuit necessarium, quòd anima sic separaretur à corpore, ut ei non uniretur quasi forma. Fuit autem necessarium intellectum ejus abstrahi à phantasmatis & sensibilibus perceptione.

Art. 1. hujus q.
Art. 3. arg. 2. in eius solutione.
* art. 4. hujus q.

EXPOSITIO ARTICVLI V.

Prima Assertio. In raptu non fuit necessarium quòd anima Pauli separaretur ab ejus corpore, ita ut ei non uniretur quasi forma, fuit autem necessarium intellectum ejus abstrahi à phantasmatis, & à sensibilibus perceptione.

Secunda assertio. Non fuit necessarium in raptu Pauli, quòd ejus anima abstraheretur à viribus animæ vegetabilis, ita ut ex intentione animæ ces-

sarent operationes animæ vegetatiuæ, sicut cessant vires sensitivæ, cum illa operentur per modum naturæ; unde non requiritur ad raptum abstractio à viribus animæ vegetabilis, sicut requiritur à potentiis sensitivis, per quarum operationes minueretur intentio animæ circa intellectiuam cognitionem.

Obser-